

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 185, Stück 1, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

~~G-A 2733~~

Leibn. Marg. 185

Eintragungen von Leibniz' Hand auf S. 10 d. angeb. Schrift.

Niedersächsische Landesbibliothek Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 185, Stück 1, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

62

1

MERCURIUS

LVSATO-SILESIVS,

Hoc est,

ITER

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

Principis ac Domini, Dn.

Iohannis-Georgii,

Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium, S. Rom. Imperii Archimarschalli atq; Electoris, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Misniæ, Burggravii Magdeburgensis, Comitis de Marcâ & Ravensberg, Domini in Ravenstein, &c.

Per Lusatiam in Vtramq; Silesiam

ad

Recipiendum ibi

ab

Inclytis PPus : & Orddus :

Sæ. Rnæ. Cæsiæ Regæq; Mtis nomine

Solemne Homagium

III. Non. Nxbreis Bono cum Deo susceptum

X. Kl: xbreis feliciter absolutum.

P. C. N. cIↃ. IↃC. XXI.

Saxoniæ Albertinæ & Ernestinæ conjuncta. 9. 1.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 185, Stück 1, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 185, Stück 1, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

MERCVRIVS.

ARGONAVTAS MAGNANIMOS & fortiſtimos illos totius Græciæ Heröas & Semideos, cum claſſem ad adipiſcendum aureum vellus inſtruerent, â Vate Chirone admonitos fuiſſe accepimus; fruſtra ipſos tantæ molis tantiq; negotii expeditionem ſuſcepturos, niſi in ejus ſocietatem & conſortium divinum Orphea aſciſcerent.

Quod Oraculi reſponſum cum minimè contemnendum judicarent, eò precibus ſuis adegerunt Orphea, ut ſub nomine titulo q; Magiſtri Navis, quem Græci κελευσὴν nuncupant, Comitem ipſis ſe ſe adjungeret. Quo quidem in fungendo munere inſignem ipſis navavit operam, mirificeq; profuit. Nam præterquam quod flexanimâ ſuâ Harmoniâ quemlibet remigum ad Officium excitaret; Inſularum & Regionum, quas prætervehendum, præſides DEOS divinis hymnis demulceret & propitiaret, mellifluis deniq; accentibus homines, feras, aves, piſces, ad fatalem hanc claſſem voce, cantu, tripudiis & votis proſequendam alliceret; Tùm verò imprimis præſentiâ ſuâ Argonautas adjuvit plurimùm, cum ad infames Sirenum ſcopulos perveniſſent, ne ad illos, more eorum, qui anteacurſum eò direxerant, adhæreſcerent & naufragium facerent. Confeſtim enim lyrâ in manus ſumptâ, ita quidem fides increpuit, ut Sirenes ſoni dulcedine ca-

 ptæ ob-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 185, Stück 1, [5] - 3
PUBLIC DOMAIN

ptæ obſurdeſcerent, naveméq; omnis periculi ſecuram tutò transmitterent.

Si unquam tempus fuit, quo Inclyti PPes. & Orddes. Vtriuſq; Sileſiæ proſperam navigationem incoare, bono cum vento tranquillitatis & ſalutis portum poſt tot immanium tempeſtatum fluctus & procellas, capeſſere, aureum denique Pacis Depoſitum conſequi potuêre; Hoc ipſum divinâ quaſi virgulâ eis oblatum meritò quis juret. Nam ut de aliis præſentiſsimi Numinis adminiculis nunc nihil dicam, melioremné quæſo aut prudentiorẽ aut cordatiorem Nauclerum, cui Navem committerent ſuam, â DEO immortali votis conceptis exoptare auſi fuiſſent, quàm Sereniſsimum Saxoniæ Principem Electorem? Fuit ipſe ſolus hactenus, qui, impetuoſis Septentrionis filiis mare turbantibus, rectũ ſemper tenuit clavũ, qui Proteos, Phocas, Sirenes, aliaq; monſtra Neptunia ſurdâ aure prætervexit, nedum domuit. Quod animi invicti robur cum Sa. Rom. Cæsia Regiaq; Mtas. non ita pridem in ſedandis Luſatorum motibus in hoc Semideo, decretâ ipſi clementiſsimâ Commiſsione, comperiſſet; Ex re totius Imperii Romani fore cenſuit, ſi poſt publicatam Amneſtiæ legem, arduum Reconciliationis Inclytm PPm. & Orddm. Vtriuſq; Sileſiæ, præſtandique homagii negotium dexteritati Ejus iterum committeret.

Etſi autem multa erant, quæ laudatiſsimum Principem â tractatu tot tantiſq; difficultatibus involuto meritò abſterrere debebant; quæ enim technæ, quæ ſtrophæ, qui cuniculi â variis hinc inde Sinonibus Miſeræ Trojæ in hunc usque diem intendantur, ſtruantur, in propatulo eſt, & cæcus ſit qui non videat, ſurdus qui non audiat: Sui tamen muneris & ſacramenti, quo Sa. Rom. Cæsa. Regaq; Mti, tanquam membrum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 185, Stück 1, [6] - 4
PUBLIC DOMAIN

membrum Capiti suo, obstrictus est, ratione in conscientiam adductâ; lubens tandem alacri fortîque animo durissimam hanc in se suscepit Provinciam, & post placatam Cæsaris iram & compositam inter præmemoratos Inclo. PPes. & Orddes. gratiam, ad recipiendum ab ipsis Sæ. Rom. Cæsæ. Ragæq; Mtis nomine sollemne homagium Vratislaviam usq; iter contendit: Cui cum unâ cum aliis non degeneribus Patriæ Incolis interfuerim, paulla quædam de illo annotare volui, si tamen τῷ ἱερῷ μιαιφόνῳ καὶ τῷ ζηνὶ ὑπομύῳ prius litavero, ut ab his chartis virulentas abigat muscas, homines dico malignos, quibus, secundum M. Varronem, sæpè alabaster unguenti plenus putere videtur.

III. Non. nxbris illuxerat, cum Seretas Sa. valedictis Illustrissimâ Conjuge, sobole principali lectissimâ, & Matre desideratissimâ, quæ tunc imbecilli erat valetudine, Dresdâ, propugnaculis munitissimâ Vrbe, in viam se dedit, Comitatusq; cum Ipsâ, sive Togatæ sive armatæ militiæ florem spectes, longè splendidissimus, & qui talem Principem decet. Pluviuscula erat primulùm, sed quam ventus Aquilonius paullò pòst dispulit. Vt viæ tædium falleret, obiter & quasi præter-viam venatiunculam instituit; quâ leviter decursâ, illâ ipsâ Vesperâ Bischoffsvverdam feliciter appulit.

Pridiè Non. nxbris circa diluculum ad Lusatiæ fines pertigit. Pressa hîc nuperæ noxæ vestigia advenientium oculis se se offerre. Sed quid faciat pius Pater, qui post meritam castigationem filii notas in tenello corpore videat?

Circa meridiem itaque Marchionatus metropolin Budissinum Seretas Sa. intravit, Consulibus & Senatoribus extra portam Vrbis progressis, ut indulgentissimum Princi-

pem humilimo cultu exciperent, & in Hospitium usqùe per collocatam utrinqꝫ armatorum seriem deducerent.

Postquam epulis exempta fames, Lobaviam versus directum fuit curriculum, ibique pernoctatum. Dies hæc erat Sabbati. Dominicâ illucente Seretas Sa ut pergeret nefas duxit, nî DEO ter Opt: Maxo: honorem prius tribueret & cultum. Oppidanum igitur templum ingressâ Ipsâ, Nobilis & Reverendissimus Vir, Dns. D. Matthias Hoë ab Hóéneg suggestum conscendit, & doctissimam concionem super textu Evangelii, quòd illo die populo prælegi solet, de Paralytico Matth: IX. habuit, quam, ut summus est dicendi artifex, memorabilissimâ finivit Coronide: Sequendum Christianis exemplum Optimi Salvatoris, quilicet â Scribis morderetur clanculum; Iste blasphemat; pensi tamen hoc minimè habuit, sed ingens illud miraculum perfecit: Surge, tolle tuum lectum, & abi in domum tuam. Neminem omnibus placere & omnia rectè facere posse; Cavillatorum, Obtrectatorum, & malignantium infinitum esse numerum: ὁι πλεῖστοι κακοί, ut est in proverbio; pergendum modò in tenore rectè factorum, sufficere si Deo καρδιογνώστῃ actionum nostrarum constet ratio. Sed frustra sim, si tenui rudiqꝫ peniculo imitari velim Protogenis aut Apellis lineas.

Rebus sacris peractis refectisqꝫ corporibus Görlicium perrectum est. Mirum hîc fuit populi studium, qui fenestris & plateis effusus, ut Vrbs est populosissima, incredibili cum cupiditate & gaudio Principem intrare videbat. Horâ unâ atqꝫ alterâ antè Serenissimus Archidux Carolus advectus erat, non quod necessitas hoc exigeret, ut cum Seretate Sa. se se conjungeret, sed ut veritate comprobaretur vetus adagio: ὁ θεὸς ἀεὶ τὸν φίλον πρὸς φίλον ἄγει. Tàm improvisus insperatusqꝫ occursus

occursus valdè gratus fuit Optimis Principibus, cœnamq; simul lęti & hilares sumpserunt.

IIX Id Octobris cum ob ardua negotia Serenissmo Archiduci aliò properandum esset, impertitâ prius Sertati Sæ. plurimâ salute, itineri se se iterum accinxit: Ipsa verò diem eum quieti attribuit. Senatus Vrbis, ut pridiè ad portam nudo capite obsequia sua ingredienti testatus erat, ita commoranti officiosissima munera non distulit.

Exoriebatur aurora nona prædicti mensis, cum clarè tubâ signum dari & vasa passim colligi: relicto Gŏrlitio, Vrbano Senatu iterum, devotionis suæ testificandæ causâ, extra portam progresso, Silesiæ finibus totus Comitatus admotus fuit. Est ibi fluvius leni cursu cum ponte ligneo, nomine QVISSVS, qui Lusatiam â Silesiâ dispescit, & non procul distat prædium nobile Seigersdorff, in quo jentaculo raptim sumpto, Sertas Sa Bolesla viam profecta est, â quâ Vrbe brevi intervallo â Nobilissimo & Strenuo Viro, Domino Caspar o â V Varnsdorff, Ducatus Suidnicensis & Iauorien sis Præfecto Cæsareo, honorificentissimè fuit excepta. Senatus Vrbis Boleslavien sis etsi eâ religione, quâ Lusati, Sertati Sæ. non tenebatur, in deferendo tamen Sæ. Rom. Cæ. Ræq; Mtis nomine advenienti honore & reverentiâ non postremus esse voluit, & quod silentio minimè prætereundum, Comitatum tâm amplum ad minimum mille equorum explentem numerum per integrum biduum lautè liberaliterq; habuit; quod licet â cæteris etiam Silesiæ Vrbibus factum fuerit, annonâ tamen, opibus, & copiis Bolesla via illis longè est inferior.

VI. Id. IIXbris Sertas Sa. ab itineris molestiis feriata est, sed non Nobilis & Reverendissimus Dns Doctor Matthias Hoë â pio religiosoq; Concionandi munere, Textum enim

enim Ioh: v. de miraculosâ illâ piſcinâ pecuariâ Hieroſolymis, optimè ad illum Matth: ix. quem nudius-quartus Lobaviæ propoſuerat, quadrantem, fragrantiſsimis aliquot floſculis ex DD. Cyrillo, Euthymo, Chryſoſtomo aliisq; Patribus Orthodoxis aſperſis, mirâ ingenii & eloquii felicitate explicuit, frequentibus auditoribus in ambulacro arcis congregatis, Seretate verò Sa. ex contiguo Conclavi auſcultante, ad cujus parietem pius quidam Patriota, publicæ congratulationis ſignificandæ ergò, tabulam quadram arguto hoc eteoſticho aureis literis inſcriptam ſuſpenderat:

DEI GRATIA
pro Cæſare & rege noſtro,
Iohannes-Georgii eLeCtor saXonIæ,
reDhIbItor CaræpaCIs sILesIaCæ.

v. Id. ejusdem præcipitante Seretas Sa. Lignitium verſus viam inſtitit, qui rumor cum in Vrbe percrebuiſſet, Illuſtriſsimus Princeps ac Dñs, Dñs Georgius Rudolphus, qui ibi aulam & habitationem ſuam frequentat, Serentati Sæ. cum conſpicuâ Equitum turmâ obviam ivit, & humaniſsimo alloquio perſuaſit, ut longæ peregrinationis difficultatem dulci quiete iterum permutaret. Introitus in Vrbem ob mœnium, vallorum, propugnaculorum aſpectum, ob platearum & ædium concinnitatem, ob Civium numerum in armis conſiſtentium, Martialemq; Muſicam, longè magnificentiſsimus fuit, ut nihil nunc dicam de regali victu commeatuq;, toti Comitatui per dies illos affatim præbito.

Vt ad pactas Metropoleos Sileſiacæ lineas Seretas Sa. pertingeret, transeunda reſtabant Neomarca ſeu Novum-

vum-forum & Liſſa, illud Vratislavienſis Iurisdictionis oppidum, hæc vicus ejusdem territorii cum arce novâ, vallis & pontibus penſilibus munitâ Nobilis Domini Henrici ab Hornick, quæ quidem itinera III. & prid: Id. IIxbris Seretas Sa. piis ſemper precibus & concionibus divino Numine placato, inæqualibus & brevibus dimenſionibus confecit, ut meliori ordine Vratislaviam poſtea procederet. Et Novi-fori Senatus & prædictus Nobilis Liſſæ Dominus providêre ſeduló, ut ſtudium & ſubmiſsionem ſuam præeminentiſsimo Sæ. Rom. Cæs. Regq; Mtis Commiſſario probarent, & tàm illuſtrem Comitatum benè haberent.

Per biduum pluerat. Nunc omnes cœlo nubes diſpaleſcere, clarioriq; quaſi luce Sol Luminis fons & autor, cœlum coronare videbatur, ut Optimo Principi Vratislavienſem agrum transeunti ocellum Vrbium, Orbis gemmam, tot faſtigiatis Operibus ſuperbam Vratislaviam oſtenderet.

Quis dignè referat quæ Gloria luce ſub illâ
Contigit intranti? ——————————

Nam ſive ingentem populi lætitiam, qui ob adventum talis & tantî Principis, incorruptâ fide & illibatâ Evangelicæ Veritatis profeſsione ſibi conjunctiſsimi, & poſt tot ætates precioſiſsimum aureæ Pacis pignus afferentis, inſolitùm exultabat, verbis exponere velim, vox deficiat, ſive plusquàm regios apparatus & diſpertitos omnibus in locis viros, diſpoſitos ordines ad octo peditum vexilla & mille equos commemorare occipiam, concubium noctis ſit prius, antequam ad extremum veniam. In Hoſpitium tandem Seretas Sa â Celſiſsmis PPbus. Lignicenſi & Munſterbergenſi, aliiſq; Proceribus deducta, diem illum & pauculos ejusdem ſeptimanæ, partim congratulationibus, votis, & deſideriis Inclytum PPm,

& Ordd^m. nec non ministerii Evangelici audiendis, partim seriis arduisq; deliberationibus, qnæ ad instantis homagii negotium facere videbantur, consumpsit.

Subsequentem hebnomadam advexit XII. Kl. IIXbris, & incoata fuit piis votis DEO nuncupandis, ut omnia feliciter procederent. Sub præcedentis finem Serenissimus Archidux Carolus cum Comitatu non exiguo appulerat, cui altero die, qui omnium Sanctorum, pòst, Serenitas Sa, Audientiam præbuit.

IX. Kl Novemb. Homagii solemnibus destinatus erat, quo luce clarâ & candidâ commodùm albescente, in templo D. Elisabetæ â Reverendo & Clariss° Theologo Do. Zachariâ Hermanno, Concio Homagii inauguralis fuit habita, quam alia Nobilis & Reverendissimi Dñ. Dris Matthiæ Hóē ab Hóēneg, cujus supra honorificam mentionem fecimus, est subsecura: Textus ejus desumptus erat ex Psalmo Lxxxv vers: IX: Audiam quod loquatur Dns Iehova, quoniam loquetur pacem ad populum suum & ad misericordes suos, & non vertentur ad stulticiam; &c quæ quia typis jamdudum est impressa, nihil de ipsâ in præsentiarum, nisi

ἔυσεβίκ γλυκὺ τῷδὲ κατὰ σόματος χέε νέκταρ.

Iam Musica ferè Angelica, tubarum, buccinarum, & lituorum clangore, citharæ, Panduræ, chelyos tremore, Organorum fragore, tympanorum pulsu, Cantorum assis vocibus animata, aliquot mille hominum cuneatim astantium & sedentium aures permulcebat, cum Seretas Sa templum subiit, præcedentibus & sequentibus eam Inclis, PPus, & Orddus alii q; magni nominis, Virtutis, experientiæ, & splendoris viris. Finito sacro sermone & Te DEVM laudamus;

damus decantato, Sertas Sa. eâ quâ in templum Pompâ, cum Inclis. PPus. & Orddus. arcem vel Curiam Cæsaris, quæ in depressiori Vrbis loco ad Oderam vergit, & Cameræ Silesiacæ Consessui & Conventibus Generalibus celebrandis deputata est, petiit. Ex areâ gradibus non ita multis in ambulacrum ascenditur multitudinis capacissimum: peristromatibus ibi suspensis Sarmaticis, & throno Cæsareo collocato, Sertas Sa. consedit; Et facto silentio Generosus & Splendidissimus Casparus â Schönberg, intimæ apud Principem administrationis, & supremi Appellationum Iudicii Præses spectatissimus, Vir, cujus memoriam ob immortalia in Patriam merita grata semper celebrabit posteritas, talem aut præter-propter in modum, quantum quidem in tantâ hominum compressione assequi potuimus, verba fecit;

Τῶ μὲν ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Sæ. Rom. Cæsæ Ræq; Mtis præeminentissimum Comissarium, Sereniſsimum Saxoniæ Ducem atq; Electorem &c: post nunciatam Inclis. PPus. & Orddus. Vtriusque Silesiæ Cæsaris gratiam, in præsentiarum porrigere ipsis literas Credentiæ, quas vocant, & Majestaticas: Nec dubitare, quin optimè adhuc meminerint, quid Cæsaris nomine antehac secum convenerit, & quomodo Conventionem illam Cæsar in omnibus punctis & Clausulis ratâm habuerit. Quâ quidem incredibili Sæ. Cæsiæ Ræq; Mtis Sæ. clementiâ nihil dici posse præclarius, nihil cogitari divinius; id vel eò magis, quod Confirmationem omnium privilegiorum, Immunitatum, Exemptionum, & Libertatum Inclyis. PPus & Orddus. in authentico tradi voluerit, ne quid amplius ad tanti beneficii cumulum addi posset.

Et quia Inclti. PPes, & Orddes, vicissim ad præstandum homagium se se obligarunt, in personâ Cæsarem, juramenti fidelitatis recipiendi causâ, huc venire initiò constituisse; Sed periculosissimis hujus temporis in So. Rom. Imperio motibꝰ, nec non aliis gravissimis & arduis occupationibus intervenientibus, vicarias hac partes Serenissimo Saxoniæ Duci demandasse. Etsi autem plures ponderis & momenti plenissimæ causæ Sertatem Sm, movere poterant, ut tantæ molis provinciam deprecaretur: Fide tamen & obsequio, quo Cæsari, tanquam Capiti membrum, obstringitur, amicitiâ item & benevolentiâ, quibus vicinis hisce regionibus conjungitur, in consideration adductis, difficilimæ huic Commissioni devotissimè detulisse, & bono cum DEO Dresdâ, Residentiæ suæ loco, in hanc Vrbem se se contulisse, Inclytos deinde PP. & Ordines adventus sui certiores fecisse, & ut frequentes convenire vellent, rogasse; Cui monito & invitationi, quòd satis-fecerint & comparuerint, Sertatem Sm singulares PPus & Orddus, agere gratias, velleq; tale eorum studium & promptitudinem Cæsari summoperè commendare, nihilq; omittere, quod ad pacem & tranquillitatem harum regionum constabiliendam pertinere viderit. Ad ea Benjamin Calo IC. supremi Officij, ut vocant, des Ober-Ampts Vice-Cancellarius, Vir doctrinâ & humanitate insigni respondit:

Fideles & devotos PPes, ac Orddes, Vtriusq; Silesiæ à Serenissimo Principe Electore Sæ. Ro. Cæsiæ, Regæq; Mtis Commissario fulgentissimo Literas Credentiæ & Majestaticas debitâ cum reverentiâ accepisse. Principiò Sertati Sæ immortales ingentes agere gratias pronunciatâ Cæsaris gratiâ, & pro Confirmatione omnium privilegiorum, immunitatum, exemptionum in Originali sibi exhibitâ, Intellexisse deinde,

deinde, quæ porrò Cæsaris nomine postulata fuerint. Gratissimis mentibus ineffabilem Mtis suæ has erga provincias mansuetudinem & curam plusquâm paternam agnoscere, ardentissimisq; votis precari Deum, ut prosperum fortunatumq; Imperium Cæsari & gloriosam de hostibus victoriam clementer concedat. Quod item Sertas Sa. ab his terris tot insanda mala & pericula, quæ ceu Tantali saxum ipsis impendebant, pro virili amolita fuerit, & Cæsaris gratiam impetrârit, plurimum se se eo nomine Sertati Sæ fideles & devotos PPes, & Ordes, debere confiteri, recipereq;, tanti beneficij memoriam nullam unquam ex animis ipsorum deleturam oblivionem. Ipsum homagium quod attinet, quod Sertas Sa præfixum nunc sortiri exitum velit, ei PPes. & Ordes. debitâ cum obedientiâ se se submittere. Quibus amplissimus Præses â Schönberg subjecit: Etsi ad præstandum homagium juramentum solemne de more requiritur; Cæsarem tamen uberioris Gratiæ & Clementiæ testificandæ causâ PPus. & Orddus. illud remittere, acquieturum, si stipulatâ manu promittant, sanctè & inviolabiliter ea se se observaturos, quæ in solemni Iurandi formulâ, anno clɔ. Iɔ. cxvii. conceptâ, continentur: Simulq; Conradum Gehe, Secretarium intimum, summorum virorum favorem fide & solertiâ sibi promeritum, eam prælegere jussit.

Finierat; moxq; primi omnium Principes Lignicensis, Bregensis, & Munsterbergensis Sertatem Sm. osculo dextræ, manu datâ, venerati fuerunt. Inidem juramentum ivit non manu tantum stipulatâ, sed conceptis verbis Illustris & Generosus Lib. Baro â Moltzan: BB. Promnitius & Schafgotschius Principum felicia cæpta dextræ porrectione sunt secuti; Legati insuper Ducatus Saganensis, Munsterber-

genſis eum diſtrictu Franckenſteinenſi, Vratislavienſis, & Senatos Vrbis Vratislavienſis.

Poſt illa D. Benjamin Calò iterum ſingularibus verbis divinam Cæſaris manſuetudinem deprædicare, addereq́; : Bene recordari PPes. ac Ordnes quas reverſales Sa. Cæia. Mtas ab ipſis non ita pridem poſtulârit, caverent nempe, talem actum, quod ſolemne juramentum hâc vice non eſſent præſtituri, ſed ſtipulatâ tantũ manu fidelitatem promiſſuri, neq́; ſibi Rom: Imperatori neque Succeſſoribus aut poſteris ſuis ulli unquam fraudi aut præjudicio fore. Eâ de causâ tale ſcriptum ſeu reverſales Seretati Sæ. nunc exhibere, ſimulq́; obnixè rogare, ut ſtudium & obſequium ipſorum impoſterum etiam Cæſari de meliori commendare, & commoda harum terrarum clementiſsimo ſuo favore provehere non gravetur.

Huc usq́; omnia ritè & bellè ſucceſſerant; Colophonem tâm feſto actui ſummo ſemper cum honore nominandus mihi ſplendidiſsimus Præſes â Schönberg impoſuit: Sereniſsimo Do. Electori â Sa. Cæia. Regaq; Mte alia etiam capitula Inclis; PPus. & Orddus. proponenda, tradita fuiſſe: Ea in ſcriptis Sertatem Sm ipſis offerre, atq; ut ſeriò & accuratè deliberentur, bonoq́; Cæſaris concludantur, rogare.

A ſupremo Vtriusq́; Sileſiæ Officiario dem Ober-Ambt recepta ſuére, Dróq́; Benjamin Calo ſtudium & induſtriam PPm. & Ordnum; ut quam primum matura ſuper iſs Conſultatio inſtituatur & decretum fiat, quod Sertati Sæ. exhiberi poſsit, breviter eſt pollicitus; ſed & Ipſamet Sertas Sa. promptioris diligentiæ curæque impenſioris provocandæ caulâ, prædictum Supremum Officiarum allocuta eſt, eique poſtulata Cæſaris etiam atq; etiam commendavit. Extemploq́;

plòq; omnia tormenta circum circa Vrbem in publicæ lætitiæ ſignum exploſa fuerunt.

Actui huic ob certum jus competentiæ Capitulum Vratislavienſe intereſſe noluit; Sertas tamen Sæ. ad reditum in hoſpitium in conclavi fidelitatem præſtitit. Idem fecerunt proximo ab Homagio die Abbates Vtriusque Sileſiæ, Exempti vel ſtatus minores, Senatus Saganenſis, Munſterbergenſis, & Franckenſteinenſis. Vltimi omnium fuêre Cives Vratislavienſes ſub dio ante Hoſpitium Seretatis Sæ. congregati, Generoſo Domino Præſide per feneſtram perorante.

Dùm in diligenter deliberandis & conſultandis capitulis â Serte Sa propoſitis PPmi. & Orddm. ſtudium fervet totumq; eſt, varii â temerariis quibusdam ſparſi fuêre ſermunculi, imprudentiq; credulitate excepti, non ſolùm Dresdæ, ſed per Sileſiam etiam atq; alibi; modò Sertatem Sm. in itinere ab hoſtibus Cæſaris fugatam, cæſam, modò Vratislaviæ, ob obortam ibi ſeditionem, non intromiſſam; & quæ alia hujus ſunt generis, de quibus Plautus Cicum ſuum non interduit. Sed paullò poſt ſplendor Veritatis harum fabularum nebulas diſſipavit, nec latum unguem Sertas Sa. â laudabili ſuâ expeditione amoveri potuit.

Hæc enim generoſa Principum mens eſt, ut tâm inanibus larvis & mormolycéis objectis minimè terreantur, ſed in Virtutis ſtudio & ſtadio uno rigore pergant. Cui myſterio pandendo Statuæ Mercurii apud Veteres non ex ligno aut terrâ, ſed ex marmore, aut aliâ ſolidiori materiâ effigiabantur, nec quâvis formâ proletariâ, ſed quadratâ ſolummodo vel cubicâ, τετραγώνως, διὰ τὴν σεμνότητα, ait Suidas Græcus autor. Ignavum contra vulgus pulveris inſtar â vento agitati fertur, fluctuat, aures ceu flabellum adducit & dilucit,

& ad

& ad ſtrepitum ſiculneum trepidat, ut non immeritò vetus ille ſapiens dixerit: —— *Quid non ignobile vulgus,*

Quod vigilans ſtertit? ——————————

Mortua cui vita eſt propè jam vivo atq; videnti.

Circa idem tempus ex Caſtris Bethlemi Chaboris & Marchionis Iegerndorffij, in finibus Moraviæ hærentium, tubicines duo appulerunt cum literis PPus. & Orddus. inſcriptis, minarum Æacidinarum plenis, quos, re prius cum Sertate Sa communicatâ, paucis diebus pòſt ad Suos remiſerunt, & quid reſponſi loco ipſis referre deberent, inſtruxerunt. Literarum ipſis traditarum exemplum Curioſus Lector infrâ inveniet.

Poſt plures demum conſeſſus Idibus Ixbribus PPes. & Orddes., quid ſuper traditis ſibi capitulis deliberaſſent, ſtatuiſſent, Sertati Sæ. in ſcripto obtulerunt, quod non multo pòſt Viennamper Curſorem Cæſari transmiſſum fuit.

Quibus omnibus feliciter & ex animi ſententiâ, immortali cum Cæſaris gloria, ſummaq; cum Sereniſsimi Electoris laude, factis & confectis, Inclytis. PPus. & Orddus. magnificentiſsimo prius epulo exceptis & valedictis, precioſiſsimis etiam muneribus ultrò citròq; datis & acceptis Sertas Sa. rectâ Dresdam rediiſſet, ſed Ducatus duo Iauorienſis & Suidnicenſis reſtabant in fidem recipiendi, qui certo privilegio utuntur fruuntur, ut talis ceremonia nullâ aliâ in Vrbe quàm vel Iauorienſi vel Suidnicenſi fieri debeat. Illuc igitur cum Sertas Sa. cum toto Comitatu Vratislaviâ ſe ſe transportaſſet, honoratiſsimo Orddm. occurſu excepta fuit, & xvii. Kl. xbris Ipſis in arce frequentibus, Celſiſsimoq; Cæſaris Vicario throno Cæſareo collocato, Generoſus & Splendidiſsimus Dñs Præſes â Schönberg exorſus â veteri obſervantiâ certi Privilegii

vilegii Vtriq; Ducatui indulti, multaq; de Sertatis Sæ. hæ erga terras singulari benevolentiâ, de temporibus tàm creperis & dubiis, Sæ. Cæsæ. Mtis nomine, susceptâ difficilimâ expeditione, quibus deniq; legibus homagium præstandum, & cur Reversales â Sertate Sa Orddus traditæ fuissent, præfatus, eum ferè in modũ finiit, quo Vratislaviæ factum supra retulimus. Ad quæ N. â Pulsnitz, quem qui ob eximias ingenii dotes Musarum & Gratiarum pullum dixerit, non frustra sit, mirificâ planè suaviloquentiâ respondit: Quibus verbis Senatus Populusq; Rom. Augustum in theatrum venientem consalutavit; O bonum & æquum Principem! ij dem fideles horum Ducatuum Orddes. Sm. Cæs. Mtem jure meritoq; hodie posse alloqui: O bonum & æquum Cæsarem Ferdinandum II! Quid enim melius, quid æquius dici possit, quàm quod post partam tàm gloriosam ab hostibus victoriam, æquitatem rigori prætulerit, misericordiam iræ miscuerit, reisq; perduellionis ignoverit? quod Commissionem tanti momenti Principi tàm placido & benigno detuleri? quod factam cum ipso conventionem clementissimè confirmarit? Quod deniq; Sa Cæsia Mtas Sa. diu noctuq; cogitet, quâ viâ ac ratione provinciæ hæ contra hostium irruptiones muniantur & defendantur? Hactenus

Nulla salus bello, ———————
———————*& melias fortuna dedisset*
Orbe sub Eoo sedem, gelidâve sub Arcto,
Errantesq; domos, ———————
Nunc est ———*Pax optima rerum,*
Quas homini novisse datum est, Pax una triumphis
Innumeris potior. ———————

quam felicitatem nulli alii accepto referendam esse quàm

Cæsari; Solius ipsius benignitatem hoc otium fecisse Patriæ, quam nulla ætas conticescet, nulla obscurabit oblivio.

Sed & Sertati Sæ, quæ lubens molestissimam hanc Commissionem in se susceperit, tàm æquis conditionibus secum convenerit, ultroq; pro impetrandâ apud Cæsarem Omnium privilegiorum, immunitatum, & libertatum confirmatione in Originali, reversalibus datis se se obligârit, quî condignas agant gratias, impares se confiteri Orddes, sed DEum, omnium benefactorum largissimum remuneratorem, calidissimis venerari votis, benedicat toti Illustrissmæ Domui Saxonicæ,

Et Natis natorum, & qui nascentur ab illis.

Sertatem etiam Sm in Reipub: Christianæ emolumentum quàm diutissimè salvam & incolumem conservet.

Facto dicendi fine, prælectâq; Iurisjurandi religione, partim juratum, partim stipulatâ tantum manu Sertati Sæ. fidelitas fuit promissa. Tribubus paullò post in aream arcis congressis, Sertate Sa de fenestrâ prospectante, ejus rei factâ est copia,

xv. Kl. Xbris Iavorio Sertas Sa. moviſſet, sed ut subsisteret Reformatio Sigilli & Confirmatio Cancellarii exegit, quibus & ipsis posterâ luce in melius redactis, novem dierum itineribus, quiete nonnunquam distinctis, per Goldbergam, Leobergam, Laubam, Gorlitium, Lobaviam, Budissinum, Bischofswverdam, faustis semper gratulationibus Sertatem Sm ex itinere advenientem Civibus & incolis officiosissimè excipientibus sana valensq; liquido cum auspicio v. Kl. Decemb Dresdam rediit. Diesq; sequens religiosissimâ gratiarum actione DEO ter Opt. Max., Pacis & Concordiæ unico Sequestro, nuncupatus fuit, qui post tàm laudabile primumq; velle, prosperum fortunatumq; perficere dederat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 185, Stück 1, [20] - 18
PUBLIC DOMAIN

WIR Fürsten vnd Stände in Ober: vnd Nieder-Schlesien / wie Wir alhier auff jtzigen von der Röm: Keyſ: auch in Vngern vnd Böhmen Königl: Mayt: außgeſchriebenem Fürſtentag verſamlet / Vrkunden hiermit vnd bekennen / Daß Vns von dem Fürſten aus Siebenbürgen / vnd Marggraff Johann Georgen dem Eltern / durch einen Trompter zwey offene / doch inwendig beſiegelte Schreiben / wohl eingehendigt worden / in welchen Wir eines vnd des andern erinnert / vnd daſſelbe in acht zuhalten / ermahnet worden.

Nun wiſſen Wir von keinem andern König zu Böheimb / auch Oberſten Hertzog in Schleſien / als die Röm: Keyſ: Mayt: dero Wir die Anno 1617. geleiſtete Eydespflicht anjtzo ernewert / Derohalben nicht allein für Vns Rath gehalten / ſondern auch mit allerhöchſtgedachter der Röm: Keyſ: vnd Königl: Mayt: alhier in Breßlaw jtziger zeit ſich befindenden hochanſehenlichſtem *Commiſſario*, dem Durchlauchtigſten / Hochgebornen Fürſten vnd Herrn / Herrn

Johann Georgen / Hertzogen zu Sachssen / Gülich / Cleve vñ Berg / des Heiligen Römischen Reichs Ertzmarschalln vnd Chur Fürsten / Landgraffen in Düringen / Marggraffen zu Meissen / vnd Burggraffen zu Magdeburg / Graffen zu der Marck vnd Ravensbergk / Herrn zu Ravenstein / ꝛc. Wir schuldig *communicirt*, Befinden aber / daß Wir bey allerhöchgedachter Ihrer Keyſ: vnd Königl: Mayt: getrewlich zuhalten / vnd bey derselben das eusserste daran zusetzen schuldig sein / Darümb Wir besagten Schreiben gar nichts *dereferiren* können / Sondern sie *in Originali* widerumb zurück zuschicken geursacht worden / dieses angebens / daß verhoffentlich Wir hinfüro mit dergleichen verschonet bleiben werden / Allermassen Wir auch nichts weiters anzunehmen gesonnen.

Vrkündtlich ist Zeigern diß kegenwertiges *Recepisse* ertheilt worden. *Actum* bey gehabten Fürstentage in Breßlaw den 11. *Novembris*, *Anno* 1621.

DJe Herren Fürsten vnd Stände in Ober: vnd Nieder Schlesien / haben der Gesellschafft / welche sich aus Schlesien in Vngern begeben / vnd vor diesem zur Neyß abgedanckt worden / an sie gethanes schreiben wol empfangen / vnd daraus / daß Sie jhren dritten theil des Soldes / deßwegen jhnen die Herren Fürsten vnd Stände dero *Obligationes* eingestellet / anjtzo Martini abzuholen gemeinet / auch vmb sichern Paß auff: vnd abzuziehen anhalten thun / zur gnüge verstanden.

Ob nun wol hoch: vnd wolgedachte Herren Fürsten vnd Stände sich zurück erinnern / was vor diesem vor Patenta / vnd vnter welchen Clausulen dieselben außgegangen / hierümb besagte Gesellschafft sich solchen Solds vor sich verlustig gemachet / vnd die *Obligationes annulliret* haben / So erclären Sie sich doch zum vberfluß dohin / daß alle die / welche sich von jtzigem jhrem vorhaben wenden / vorigen Patenten allerdings nachkommen / sich auch bey jhnen dessen angeben / vnd sie genugsam *syncériren* werden / sie dieselben

ſelben laut abgegebener *Obligationen*, Fürſtlich/Erbar/ vnd auffrichtig zahlen wollen / Wornach ſie ſich zu richten / Vnd iſt Zeiger deſſen dieſer Schein / an ſtatt eines *Recepiſſes* ertheilet worden. *Actum* bey gehaltenem Fürſtentag in Breßlaw/ den 13. *Novembris*, *Anno* 1621.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 185, Stück 1, [24] - 21
PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover
035
036 856 258

B 10
XX Saxon. Alb et
Ernst. 9.1 u. 2.
4°

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 185, Stück 1, [25] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 185, Stück 1, [26] - -

PUBLIC DOMAIN